



HERMANNI
VULTEII, IC^{ti}
Tractatus
DE IUDICIIS

IN LIBROS IV:
divisus

QVO IUDICIORUM NA-
tura in genere et processus
Iudiciarius in specie accuratissime
ex Jure Civili, Canonico,
Recessibus Imperij et Con-
suetudine traditur et
explicatur.

CASSELLIS
Impensis SEBALDI KÖCHERS.
M. DC. LXXV.



Bela Bibliotheca et Columna Academiae

HERMANNI VULTEJI JC.

TRACTATUS

De

JUDICIIS,

In libros IV divisus

*Quo judiciorum natura in genere & processus judiciarius
in specie accuratissimè ex Jure Civili, Canonico, Receptis
bus Imperii & moribus hodiernis traditur
& explicatur.*

Opus posthumum hactenus à multis
desideratum.

In lucem editum operâ

JOHANNIS VULTEJI

Authoris FILII.

Cum speciali Privilegio Sacrae Caesareae Maiestatis.



CASSELLIS,

Typis SALOMONIS Schadevis / Impensis

SEBALDI Köhlers / ANNO M.DC. LIV.

FERDINANDUS Tertius divinâ favente clementiâ,
electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hun-
garicæ, Bohemiæ, Dalmaticæ, Croatiae, Slavonicæ &c. Rex, Archidux
Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtenber-
gæ, Comes Tyrolis &c. Augustalis benignitatis proprium est, eos in-
primis, qui rem literariam, cujus adminiculo Imperia, Regna & Res
publicæ gubernantur pariter ac firmantur, vel studio vel labore vel etiam sumptu provehen-
dam exornandamque suscipiunt, Cæsarei favoris & gratiæ subsidio præmunire & cohone-
stare. Quum itaque Nobis noster & facti Imperii fidelis dilectus, Sebaldus Köhler Civis &
Bibliopola Castellensis Cattorum humillimè curavit exponendum, se Hermanni Vultejii Ju-
risconsulti Opus posthumum, nimirum tractatum de Judiciis in libros quatuor divisum
multorum hætenus votis expetitum, suis impensis inducem publicam edere constituisse,
vereri autem, ne dum ipse rei literariæ juvanda, publicæq; inseruit utilitati, improbâ homi-
num alienis laboribus insidiantium, quæstuiq; ac lucro proprio vel cum aliorum noxa & ja-
cturâ augendo inhiantium cupiditate, speratō justissimo cum laborum ac vigiliarum, tum
impendiorum fructu defraudetur, ac proinde Nos supplicabundè rogarit, uti rationibus suis
hoc loci consulere, seq; contra cujuscunq; id genus æmuli lucripetæ dolum ac fraudem Cæ-
sarei Nostri Diplomatis præsidio tegere ac defendere clementer dignaremur. Nos humilli-
mis hujusmodi precibus præfati Sebaldi Köhler clementer annuimus. Atque idcirco ipsi
Sebaldo Köhler, ejusque hæredibus, Cæsareum nostrum privilegium super dictâ editione
conscripti ab Hermanno Vultejo tractatus de judiciis facienda clementer impertivimus &
concessimus, quemadmodum vigore harum prudentes, scientes atque animo bene delibe-
rato, ac Cæsareâ nostrâ auctoritate benignè concedimus atque impertimur: universis ac
singulis Typographis, Bibliopolis & aliis quibuscunq; librariam negotiationem exercen-
tibus, tenore præsentium seriò inhibentes ac vetantes, ne quis eorum sæpe dictum Her-
manni Vultejii tractatum, à supra memorato Köhler excusum, intra sexennium à datâ harum
proximè computandum, intra sacri Romani Imperii, Regnorumque, Provinciarum ac Do-
miniorum nostrorum hæreditariorum fines simili vel alio typo & caractere, vel etiam for-
mâ in toto vel in parte recudere, vel aliò recudendum dare, vel alibi etiam impressum impor-
tare, adducere, vendere aut distrahere, clam vel palàm, citra voluntatem ac consensum præ-
dicti Sebaldi Köhler, ejusque hæredum ausu præsumatve. Si quis autem secut faxit, & inter-
dictum hoc nostrum contemnere ac transgredi non fuerit veritus, is non solum hujusmodi
libris perperam quippe recufis atque importatis, quos quidem sæpe dictus Köhler ipsiusq;
hæredes ubicunq; deprehensos, vel auctoritate propriâ, vel Magistratus loci illius auxilio
apprehendere, ac sibi vindicare poterunt, de facto privari, sed viginti quoque marcharum
auri puri puti probi, ex semisse ærario sive fisco nostro Imperiali fraudis nimirum vindici:
ex altero vero semisse sæpe memorato Sebaldo Köhler, ejusq; hæredibus, omni spe veniæ
præcisa pendendarum mulctam dare damnas esto: Hæc tamen lege, ne in dicto opere bonis
moris aut legibus contrarium aut noxium contineatur. Ac præterea, ut ipse Köhler
quaterna ad minus exemplaria statim post finitam editionem suis sumptibus ad Imperialem
nostram Cancellariam transmittat: quod si neglexerit, hæc nostrâ gratiâ ac privilegio
neutiquam possit gaudere, sed eo statim ipso facto privatus & exutus esse censeatur. Manda-
mas itaque omnibus & singulis nostris & Sacri Imperii, Regnorum, Provinciarum, ac

Ditio-



HERMANNUS VULTEJUS, JC^o. COMES PALATINUS, SACRÆ CÆS.
MAJEST. ITEMQ^{ue} SERENISSIMORUM HASSIÆ PRINCIP. CONSILI-
ARIUS, ACADEM. MARBURGENSIS PROCANCELLARIUS.
SEN: & PROFESSOR PRIMARIUS NATUS VETERIS HASSO-
RUM 16 DECEMB. ANNO 1555. ÆTATIS SUÆ 76.

JOHANNES VULTEJUS

Hermannii FILIVS

Lectori benevolo salutem.



Quamvis ab eo tempore, quo spartam nactus publicam in rebus agendis primum versari mihi contigit, inter strepitus bellicos & negotia mihi concredita, de operis presentis à Parente meo piè defuncto concinnati editione serio cogitare mihi haud licuerit, multoq; minus manum ei admoveere; non tamen putavi diutius expectandum, quin saltem, ex quo pax in Imperio publicata & patria quoq; nostræ restituta fuit, parentis mei voluntati non minus obsequerer, quam desiderio non paucorum magni nominis Iureconsultorum, editionem huius tractatus enixè efflagitantium, satisfacere. Quare id, de quo diu deliberaveram, effectui nunc dare volui: sed ut ingenue fatear, ob negotiorum impresentiarum mihi incumbentium molem, vix ausus fuisset aggredi rem, nedum perficere, nisi amicorum consilium & opera me hâc in parte sublevâisset. Licet verò mihi arrogare non ausim, multum me ad publicationem huius operis contulisse, meam saltem Reipublicæ & quibusvis bonis quovis modo inserviendi voluntatem æqui boniq; consulere nō minus, quam Auctoris, dum viveret, in promovenda re literariâ studium constans & indefessum, etiam post facta, grato animo agnoscere, mihi deniq; meisq; favere ne dedigneris. Vale. Cassellis pridie Kal. Septemb. Anno Christi M. DC. LIII.



HERMANNI VULTEJI JC.

De

JUDICIIS
LIBER PRIMUS

CAPUT PRIMUM.

De

Judiciis in genere.

SUMMARI.

1. *Artium cognitio & exercitatio.*
2. *Cognitio sine exercitatione est imperfecta.*
3. *Artifex non est qui non utrumq; calleat & faciat.*
4. *In primis in Jurisprudencia id verum.*
5. *Ea proprie est prudentia.*
6. *Cognitio & applicatio preceptorum.*
7. *Finis jurisprudentia quis?*
8. *Jurisconsultus sive jurisprudent & juris sciens sive juris sapiens quid differant?*
9. *Quis verè Juris?*
10. *Quid sit vera philosophia apud Ulp. in l. 1. §. 1. de J. & J. quam JCri profitentur.*
11. *Theoria & praxis conjungi debent.*
12. *An praestet judicem esse peritum, imperitum verò procuratorem causa vel advocatum, an contra?*
13. *Cognitio juris quomodo comparetur?*
14. *In quibus sit posita?*
15. *Processus judicariis quid?*
16. *Ius quod in causarum meritis spectatur in scholis docetur.*
17. *Modus verò & forma causarum merita tractandi in hoc tractatu proponetur.*
18. *Doctrina judiciorum utilis & necessaria, nec abusus tollit usum.*
19. *Confirmatur pluribus.*
20. *Pudenda doctrina Anabaptistarum.*
21. *Etiam clerici magistratus seculari sunt subiecti.*
22. *Etiam judices Ethnicis à Deo sunt & coram illis litigare licet.*
23. *Occurritur objectioni.*



Citationem editam, si reus sibi contendendum putabat, protinus in sequebatur in jus vocatio, † ut rectè etiam animadvertit Azo in *sum. C. de in ius. voc. in pr. & post eum Accurs. in rubr. C. de edend.* quæ hodie quidem cum citatione eadem est. † Olim verò ab ea erat diversa & alia. † Quamvis olim vox citationis videatur usurpata esse aliquantò generalius, ita ut citatio esset, quivis actus, quo quis ad eum, qui ut veniat, jubendi habet facultatem, vocatur. Huius citationis ita in genere acceptæ puto fuisse duas species, unam in jus vocationem, alteram citationem ita acceptam in specie, quæ de re quæ dixi, c. 2. *discept.* in hunc locum repetita volo. Citatio verò latius patet quàm in jus vocatio. Citandi enim facultas est publica: facultas in jus vocandi est duntaxat privata, eius nim. cuius interest quem in jus vocari. Et exercitium illius facultatis collatum est in arbitrium privati illius, ita ut in jus vocet vel per se ipsum vel per alium; huius tamen non nisi illo volente: à quo dissentit quidè Doncl. in l. *vivum. n. 3. ff. de reb. cred. si cert. pet.* existimans unumquemque in jus vocari oportere iussu & autoritate magistratus, cuius sententia à nobis profligata est lib. 1. *discept. c. 1.* Præterea citatio locum habet in omnibus tam voluntariam quam contentiosam jurisdictionem spectantibus: in jus vocatio non item, sed in his duntaxat, quæ sunt jurisdictionis contentiosæ. Citatio fiebat tam in iure vel iudicio quam extra illud: in jus vocatio non fit, nisi cum ad ius nondum est ventum, ut plenius exposui d. c. 1. sed hodie utraque illa appellatione utimur promiscuè, quod etiam observavit Wes. in *tr. de in ius. voc. n. 2.* & Menoch. lib. 2. *presumpt. in princ.* ita tamen ut vocabulum citationis ferè absorpserit vocabulum in ius vocationis, tam ut etiam vernaculæ nostræ facta sit communis. Ita enim citationem appellamus *in Citation* / sed magis Germanicè dicimus, *eine Ladung* / † quæ usurpatur potissimè in judicialibus; item *ein Vorgebot* / *ein Vorbescheid* / quæ duæ appellationes ferè in extrajudicialibus locum habent. Tam vero judicialibus quàm extrajudicialibus communis est appellatio, *ein Vorbescheidung*. Nulla autem hodie citatio sive in jus vocatio fit autoritate privata, sed omnis fit autoritate publica, de quibuscunque etiam fiat negotiis. Quam ob causam ex usu nostro citatio † definitur autoritate magistratus ad eum qui jus vocandi habet facta vocatio. Hæc deducitur in duas species, in judicialem & extrajudicialem † ex forma nim. tractandi negotii cuius causa fit citatio: tractatur autem negotium in iudicio vel extra id, jurisdictionis contentiosæ vel voluntariæ. Sed quæ extrajudicialis est citatio, huc non pertinet, ideoque de judiciali duntaxat nobis dicendum erit. Citatio igitur judicialis † est citatio facta à iudice de negotio controverso judiciali. De hac vulgò dicitur, quod ab ea iudicium incipiat, † utpote quod illa sit iudicii actus omnium primus, idque per text. in *fin. Inst. de pæn. tem. litig.* quod idem probari existimant ex ordine titulorum in digestis, ubi titulus *de in ius. voc.* præcedit eum, qui est *de edendo*, itemque quod citatio sit principium, basis & fundamentum iudicii; ut probat Specul. in *tit. de citat. in pr. per text. in c. quoniam contra. de probat. & in c. Ecclesia. de constit. & in c. nequaquã. de majoritate & obed.* Cui repugnat † illud alterum, quod omnibus etiam in ore, quod nim. iudicium incipiat à litis contestatione, quam citatione esse posteriorem & natura & tempore extra controversiam est. Sed priores illi † loquuntur aliquantò pinguius quos cum his posterioribus eleganter conciliat Castrensis in